Viro Doctissimo et clarissimo

Gottl. Cortio

S. D.

Burmannus

Accepi Lucanum simul cum literis humanitatis et tui erga me amoris, insignibus et certissimis testibus. gratiasque pro benevolentia et munere tam grato delitus ago; Cum vero ipse parcum te admodum in proferendis conjecturis et emendationibus, quae domi tibi natae sunt, profiteris, neque mihi copia aut tempus fuerit accurate omnia, vel ad ea quae ipse olim in Lucanum elaboravi, vel quae cum maxime prodit Oudendorpius, exigere, veniam hanc mihi dabis, ut liceat differre sententiam, quoad plenius cognoscendi detur facultas. Male vero metuo ne aemulationis hoc inter vos studium, calidos juventa animos acuat et in simultates non laudabiles incendat cum magno redemtum vellem, si non duos tam egregie indolis et doctrinae juvenes in diversos tramites casus tulisset, nec alter altero nesciente in idem curriculum se conjecisset. Ego certe utrique jamdudum liberum concessi campum, et ut laudabile famae et gloriae ex literis studium utriusq nomen illustret, opto voveoque. Sed ne tibi ipsi iam factum, quod occupaverit editionem Lucani Oudendorpius noster, invidiose nimis queraris,

accipe quam ego mihi decoquendam esse ~~[illegible]~~ video
ab ignoto plane, et quem ante paucos dies aterne an albus
esset, nesciebam Capperonerio Parisiensi Theologo (Agnoscis
~~[illegible]~~ infaustam) et Gr. L. Professore. Novam ille Quinctiliani
de institutione Oratoria editionem, splendidam satis et
emendatam, mole etiam spectabilem prodidit. et cum
cerumnabili meo labore, qui me aliquot annos in conferendis
MSS. et editis codicibus exercuit, frui et uti se profiteri
non erubescat, ~~[illegible]~~ mei viventis et videntis notas, et quas
aliorum multa cum molestia in unum congessi, sine
ullo suo labore in suam editionem transferat, nec modo
me aliquid praestitisse laudatione dignum, sed nihil fere
ad Quinctilianum illustrandum attulisse confidenter ~~[illegible]~~ et quinque
editionis meae vitia magna cum ostentatione sui
et in praefatione et ubique in notis exagitat. quae tamen
omnia ex maligno potius animo, et gentis nostrae
contentione, quam a Francica illa elegantia longe abesse
criminantur, profecto videbis. En autem velut in tabella
accusationis iniquissimae capita.

I. culpas, quod lectiones depravatas et interpungendi
notulas reliquerim, neq. de iis monuerim in notis. cujus
rei testes producit locos quosdam, qui librariorum negligentiae
debentur, et quos jam ipse in codice meo dudum emendavi
vel quos propter diversa sententiam opiniones, ego reliqui, ut
in editionibus prioribus reperi, neque mihi umquam id
arrogavi, ut nihil relinqueren. spicilegii alius

II. quod non ipsi contextui inseruerim correctiones, quae
videntur satis probabiles; quae puerilis est criminatio
non enim ego umquam eorum audaciam probavi, qui
audent conjecturas, licet videantur verae esse, veteri
lectioni praeferre, nisi plane mihi persuadeam, a nullo
erudito posse reperi. cum lectori sufficere credam, si ex
notis de iis doceri posset, quod me fecisse ipse fatetur

III. me inter varias lectiones retulisse aperte falsas, quae
librariorum lapsui sine dubio debentur. sed haec calumnia

in omnes omnino, qui variarum lectionum libellos editionibus suis adjecerunt recidit. neque enim ineptas lectiones ideo quis producat, ut earum patrocinium suscipiat, sed ut acutis hominibus vestigia saepe verae lectionis in falsis illis latentia, possit ostendere.

iv gravior est accusatio, quod in notas retulerim, quae ad rem non pertinent, quae mentem auctoris obscurant, quae erroribus scatent etc. Utinam vero id in notis meis ostendisset certe vindicandi mea dedisset occasionem. sed raro videlis notis meis subjectas reprehensiones, sed omnia fere in Turnebi Mosellani et aliorum annotiones recidant, quas me debuisse emendare, corrigere, et si quid ex Graecis male verterint, monere contendit. de Turnebo etiam praefatione monui me non credere ea ex Turnebi scriptis esse edita, et saepe etiam insigniores quosdam errores castigavi. sed quis umquam qui variorum notas in unum conjuit id sibi negotii datum esse credidit, ut singulis adjiciat notis ἐπικρίσεις, et totum Augiae stabulum purgare velit. memini me ante aliquot annos Facciolati specimen in Ciceronis Oratione pro Quinctio vidisse, qui pariter contendit Graevio esse adscribenda omnia, quae Hottomannus peccavit, quia illa refutare neglexit. quo, quaeso, judice causam tenebunt tam iniqui et acerbi accusatores?

v denique in me reprehendit, quod voces technicas, vel terminos artis, ut vocant, quibus passim et varie utitur Fabius, non explicuerim, et ex Graecis et Latinis Rhetoribus, accumulatis eorum locis, illustraverim, quam sibi in primis provinciam vindicat.

Vides, ni Cl. accusationis ineptissimae capita, et quae livoris et malignae manifestissimae notas praeferat. Sola, quam praefixi, editioni meae, praefatio me satis defendere posset, ubi de instituto meo egi. et de variis lectionibus et notis ea tantum promisi, quae praestitisse puto et professus fui, me ejus fuisse sententiae, ut si doctorum virorum sola ratio habenda foret, exactissima etiam ad superstitionem usque variantis scripturae descriptione nos posse defungi commentarios vero conscribere quibus ex diversis Rhetoricis magistris, vel similes vel discrepantes a Fabio sententias congestas daremus, esse otio abutentis.

Quanti enim laboris et ingenii est, positis ante oculos Rhetoribus Graecis et Latinis, ad singula capita notare, ita censet Fabius, ita Aristoteles, Hermogenes, Cicero, et Rhetores a Pithoeo editi. haec puerorum pensa, non qui scriptores edunt, sunto. non intercedo, quin ludimagistri vices subeat Capperonerius, et quotiescumque apud Fabium occurrat civilis, civilitas, centies in notis repetat, id est πολιτικὸν πολιτικά. sapientiae studiosi, id est φιλόσοφοι... finire i.e. definire substantia i.e. οὐσία et mille talia non semel, sed ubicumque in Fabio occurrunt. denique ipsum Minellium superare sino ineptiis, quae ad augendam molem libri tantum faciunt. nam eadem quae in praefatione, magna cum ambitione recensebis ter, immo saepius in notis iisdem saepe verbis repetit. sed si ultima illa accusatione me se prostraturum credit, Item scribat omnibus commentatoribus, qui tantum id operam dedere, ut verba auctoris, et dubia et absconditae sententiae illustrarentur, et qui ineptos crediderunt, qui in Lucretio, totam Epicuri Philosophiam illustrarunt, in Ciceronis Rhetoricis et Philosophicis ex ejusdem disciplinae auctoribus immensas idem vel diversa sententiarum opiniones congesserunt. laudet Lotichium, qui omnes medicinae thesauros in Petronii commentarios effudit, laudet Clericum, qui ad Hesiodum Hebraicae linguae se peritum, ex ineptis Etymologiis probare voluit, laudet omnes qui ad omnes auctores Geographica, antiquitates et reliquos locos communes tractant. mihi sedet sententia non obsequi his dictatorchis. sed ohe! iam satis de his, et vereor ne tibi molestior jure videar. si majus otium erit, brevi quodam scripto Thrasonem hunc Gallicum probe depexerem. sed nescio an tanti videri debeat. Suspicor autem Capperonerium in me tanta verborum acerbitate invectum, propter illa quae in fine praefationis, agens de Rollini editione, adjecit de Jesuitis et Pontifice R.o nam ex manifeste respicit ipse de Rollini institutione agens, et de Jonae Philologi compendio.

deficit jam charta, et tamen ad epistolae tuae capita adhuc quaedam sunt reponenda. de quibus breviter haec habe. Fragmenta illud Sallustianum frustra adhuc quaesivi, nec catalogus noster

ullam ejus mentionem facit. non cessabo tamen investigare diligentius. de codice Parisiensi Plinii nihil audivi unquam nec legi, ideoque vellem certa illa documenta, unde tu id didicisti, indicares. Medicaeum codicem contulisse scio, et vidi apud haeredes Heinsii margini Plinii varias ejus lectiones adscriptas. quas an tecum communicare velint nescio. Sciatterum tu et alii, qui saepe a me ex Heinsianis scriniis aliquid poscunt, mei non semper esse arbitrii illa cum omnibus communicare, et video difficiliores in posterum fore, quia succrevit quidam, qui se supra omnes sapere sibi persuasit, et qui mihi omnem famam et gloriam ex Heinsii nomine natam jactat, et alios superesse qui sanguinis vinculo Heinsios propius tangunt, quibus recludenda sunt illa scrinia. Ita ut caute agenda mihi esse videam. videbo tamen, si Plinii epistolis edendis operam dare velis, quid efficere possim. Ovidius utinam post decem annorum, quibus operas exercuit, moram, exire posset. sed cum pessimis, fere dixeram nebulonibus, mihi res est, qui omnia lucro suo metientes, ita me fatigarunt ut per tres integros annos, ne folio quidem excudendo illis voluerim materiem praebere. nunc ad humillimas preces, aere intolerabili superbia devolutis reliqua in Ibin, quae sola restabat dedi describenda typis. sed indices, quibus ego nolui manum admovere, locati non admodum erudito juveni, diu adhuc morabuntur. nec ante adultam aetatem finem mihi promitto. Miror nullam in actis mentionem fieri Epyllogis meae epistolarum, quarum ultimus me nunc tomus exercet. si illae placere non possunt, nullas posthac edendas esse censeo. Vale, Vir Cl. et Ampl. Menkenium meis verbis saluta. Leidae. a.d. XVII Jan. CIↃIↃCCXXVI

P.S. duos bibliothecae nostrae codices ms. Plinii habet. ad quos nondum excutiendi tempus, superfuit. nec hic quemquam novi cui conferendi partes credi possunt. mihi vero [illegible] minime esse ipse satis credo

41v

Monsr

Mons. Godlieb Cortius
chez Mr Gleditsch
libraire
à
Leipzich

for Emerich